

09/11

M-s. 204

327.

Aug. Z 675
23

DE CLARIS
HALBERSTADIENSIBVS

PROLUSIO HISTORICA,

QUA
DECLAMATIONES PUBLICAS

IN

IOANNEO NOSTRO

d. V. OCTOBR. AB. H. II. POST MERID.

HABENDAS PRAESIGNIFICAT,

AD EASQUE

BENIGNE AUDIENDAS

QUOTQUOT AMATORUM

REI SCHOLASTICAE EST,

DECENTISSIME INVITAT

M. CHRISTIAN. GODOFR. DERLING,

IOANNEI RECTOR.

HALBERSTADII, TYPIS LANGIANIS, 1733.



§. I.

Clarorum virorum, meritis insignium ac doctrina praecellentium, nomina factaque nosse, non amoena solum et delectabilis prorsus cognitio est, sed acuendis praesertim iuuenum ingeniis atque exsuscitandis honestissimae aemulationis igniculis, multo adcommodatissima. Facio igitur quod me addecer maxime et a praecipientis, quod sustineo, munere, alienum minime est, dum lumina ciuitatis nostrae splendidissima, viros immortales atque ob nominis claritudinem toto orbe cognitos, qui patriam nostram, quam natura nobis carissimam esse voluit, maximeque hanc urbem, ortu suo ac meritis egregie illustrarunt, heic introduco. Quorum ad procudendam memoriam, verustatis indagator sollertissimus *Io. Andr. Schmidius*, ansas nobis dedit, quippe qui *triumvires Halberstadienses*, aeternitati dudum consecrauerit. At vero non *triumuiros* modo, sed *centumuiros Halberstadienses*, numquam ob-

obliviscendam nominis gloriam adeptos, in medium produci facile posse, serio iudicatioque existimamus. Quod ne cuiquam incon- sulte ac temere a nobis dictum videatur, hoc quasi album claro- rum Halberstadiensium, praepropera festinatione concinnatum, exhibemus, iustam aliquando, ubi otium erit, in eodem perfici- endo operam conlocaturi.

§. 2.

Iuvat autem ab ultima antiquitate repetere nomina insignite clarorum civium nostrorum, eaque iuxta seculorum seriem enu- merare et praestantissimas eorum animi dores vestigiis quibusdam ac lineamentis commonstrare. Nono iam seculo a recuperata salu- te, admodum inclaruit erudita pietate grauissimus praelul *Euilpus* sive *Emundus*, primus e gente Saxonum inferiorum episcopus Halberstadiensis, quem *Eumenium magnum* ab annalium con- didoribus permultis nuncupatum reperimus, cognoscente forte ab *Eumenio* rhetore ducto, quem dicendi copia aequiparabat. * *Haj- mone* praedoctissimum ac vere incomparabilem episcopum, no- minasse tantum, ac lectores ad commentationem nostram histori- cam vberiore de vita et doctrina eius, ablegasse breuitatis ergo sufficiat. **

* Cfr. Beat. Rhenanus, L. II. rer. germ.

** Prodiit Helmstadii apud Weygandum, 1748. in 4. Adde acta sancto- rum Io. Bollandi mens. Febr. T. I. p. 504.

§. 3.

Seculo x, seu stella nocte interluxit Herpo seu *Erpho* ille, quem Halberstadiensem fuisse disertissime loquuntur annales patrii, latio sermone conscripti. * Is gratia Ottonis III. imperatoris ac suffra- gante maximo pontifice, dictaturam sacram apud Wormatienses obrinuit quidem, at triduo eadem cessit fato functus, Romaeque sepultus est in monumento cui inscriptum legimus:

*Praefulus Erpho capis fastigia summa probati
Officium moriens liquit et illud onus,
Tres vix ipse dies gavisus munere tali
Caelestis patriae munera laeta subit.*

Ne-

Nemo praeterea non novit *Sindigerum* illam aut *Brunonem*, qui *Gregorius V.* postea dictus est et supremum ad pontificatum meritis peruenit, in agro Halberstadiensis natum fuisse, qui tum erat patentissimus.

* Hi, plura inter antiquitatis monumenta, diligentissima conquisitione collecta, instructissimam *LVCANORVM* fratrum, dignitate illustrum et humanitate summa virorum, librariam suppellectilem, integre exornant.

§. 4.

Quum iterum ibi nati videamur, ubi optimis artibus ac disciplinis sic imbuimur ut publicae aliquando rei multum prodesse possimus, haut immerito Halberstadiensibus connumeramus *Sec. XI. Wezilonem*, heroico donatum ingenio, qui a prima iuventa in hac vrbe studiorum causa verlatus, deinde in sacra facientium numerum adscitus, dirempta inter eum atque episcopum amicitia, vrbe prohibitus, sese ad *Henricum* imperatorem contulit, ab eoque *Moguntino* archiepiscopatu auctus est. Huic latus claudat *Simon* ille, qui et *Adelbertus* audit, germanus *Burcardi* episcopi frater ac maioris ecclesiae praepositus, postea *Bremensium* archiepiscopus, quem *sustentaculum eruditorum* ac *totius Saxoniae splendorum*, *Gust. Budaeus* adpellitat. *

* In chronol. episc. MS. Adde *Cranzium* in metrop. L. III. c. 31.

§. 5.

Hos proximo seculo insequuti sunt *Wichmannus* et *Ludolphus*, eruditorum *Sec. XII.* in his terris facile principes, de quorum utroque iuuabit legisse patriorum annalium scriptorum manu verba: *Wichmannus Magdeburgensis Archiepiscopus, Patrici coaeuus, et Halberstadiensis alumnus fuit, ibidemque in ecclesia S. Pauli, a qua quam quomodo vixerit et profecerit, vita subsequens manifestauit. Hic Wichmannus ad administrationem ecclesiasticam adhibuit Ludolphum, virum egregium et doctissimum ex oppido Croppensted Halberstadiensem, in quo quia insignem indolem animaduertit, curauerat illum Parisiis in omni scientiarum genere instrui propriis sumptibus, aetate viginti. Dum reuersum instituendis iunioribus eum praefecit, inde canonicum crea-*
vit,

vit, quo in loco tantum profecit, ut non tantum decanus fieret, sed ex
Wichmanno merito omnium calculo dignissimus iudicaretur archiepiscopatu.

* Quales hi et quomodo instituti fuerint, adprime docet *Goil. Badaeus* in biogr. Alberti II. p. 149.

§. 6.

Conradus item Halberstadiensis, tum aliis egregie scriptis, tum annalibus patriis, improbo studio exaratis, immortalitatem nominis aequae ac *M. Themo*, eiusdem postea laboris particeps, sibi et conciliauit. Ad ornamenta porro patriae Sec. XIII. pertinet *Lodocus Eberhardi*, oriundus Halberstadio, medicarum artium scientia inclutus, cuius ad gloriam illud accedit, quod lucrosam Aesculapii artem ea mente haut exercuerit, quo aureos sibi faceret dies. * Sacrandam aeternitati *Ioannis Semecae* memoriam, peculiari commentario prodero dudum decreuimus, fidem promissam aliquando certe exsoluturi.

* *Cfr. Leukfeldi antiqu. Michaelst. p. 53.*

§. 7.

Seculum XIII. maxime illustrauit *Halterus Blening*, Halberstadiensis, l. v. p. Bononiae creatus, qui causam Alberti I. aduersus Henricum principem, Romae, ipso coram pontifice maximo, magna contentione egit et stilo quoque acriter defendit. * Praeterea in codicillis publicis omni doctrinae laude cumulatos *M. Abbonem* et *Virum Mossium* reperio, quorum ille doctus graece, hic physices gnarissimus fuit. Taceo *Ditmarum*, vices Alberti episcopi gerentem, quem omnigenae eruditionis copia abundantissimum, conditores annalium subinde vocant.

* Teste Io. Henr. Hofman in comment. MS. de limit. dioeces. episc. Saxon.

§. 8.

Peruagatissimum Seclo XV. nomen est *Henrici de Gerbstedt*, Afcania oriundi et in vrbe nostra literarum causa permultos annos versati, qui decretorum doctoris titulo insignitus atque ex Gallia redux, praepositi dignitatem Erfordiae summa cum laude

de gessit, ibidemque *collegium*, uti vocant, *Marianum* seu *scholarum* aperuit, atque ut civium suorum septeni, literis in ea operam navaturi, suo sumtu alantur, munificentissime instituit. Plurima eius ac sagacissima medicamenta, quae in membranis perscripta in teritiis doctorum adhuc supersunt, quantus hic consultus iuris et actor causarum fuerit, testatum apud animum legentium relinquunt. Nec despiciatui habendus est *Ioannes Kerkenerus*, scholae divinae virginis apud Halberstadienses per plures annos alumnus, cuius non illaudabili opera chronicon Bodonis ad a. 1530 deductum est. *

* Vid. God. fr. Leibnitii introd. in T. III. rer. Brunsv. p. XI. ac denuo p. 423.

§. 9.

Primo statim beatissimi seculi XVI. ortu, ne quid de *Cornelio Crullto*,* *Andrea Schlanstaedt*, orichalci fictitii in his terris auctore, et aliis commemorem, laeta doctorum leges in agro Halberstadiensi effloruit. Numquam pari cum eius meritis laude poterit praedicari *Henricus Horn*, lurium Licent. Episcopus Acconenfis, ecclesiarum, uti vocant, collegiarum S. Crucis Nordhufae et divinae Mariae apud nos Decanus, episcopi officialis, reliqua. Is musarum domicilia quot instituerit, quamque propensum se ac magnopere liberalem erga homines doctos ac literatos praestiterit, huius loci non est percentere. Manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum, memoria eius tota Germania percelebrata. Erat enim parens sapientiae optimus ac meritisissimus, studiorum praeses ac custos. Pari modo incomparabilis viri nomen tuetur *Christophorus* ab *Herdesheim* siue Herdesianus, ICtus et Norimbergensium praeter, qui cum peradolescens forte pone sacrificulum genua flectens, tintinnabulis crepitare iuberetur, iisque incuria in terram prolapsis, sonum ederet nullum, male acceptus est verberibus. Has indignitates pati nescius, vrbe excessit a. 1540. et a *Luthero* puriorem religionem edoctus, *Bolonia* primum, mox in *Galliam* audiendi lo. Franc. Duareni gratia se contulit, a quo quanto in pretio deinde

inde habitus fuerit, indicio est vox eius honorificentissima, in solemni quadam disceptatione academica ad Herdesianum directa: *O! si Germania, (addo: si Halberstadtum,) talia plura habet ingenia, actum est profecto de nobis Gallis et Italis.* ** Aequalem fere habuit *Ioannem Crusium*, Halberstadiensem, quem Ericus iunior, dux Brunouicensium in amicorum numerum retulit.

* Euolue Lezneri vit. Ludov. Pii p. 748.

** Adi Freherum in theat. claror. vir. p. 898. Erasmus Rudigerus, Camerarii gener, parallelismum inter Ann. Burgium et Chist. Herdesianum literis consignauit, qui exstat in monument. pietatis et literariis viror. in republ. illustr. T. II. p. 61-91.

§. IO.

Singulari consilio ac sapientia instructus *Henningus Arnisaenus*, Halberstadiensis, Seculo XVII. literarum eclumem fuit ac ornamentum. In quo depraedicando ne nimii esse quibusdam videamur, age incomparatissimum Conringium, tamquam honorarium omnis eruditionis arbitrum, audiamus: *Ab eo circis philosophiae in academia Julia, ut alibi nusquam, fuit exculta, et simul imperii quoque, quod liber ipse de iure maiestatis demonstrat, ut aliarum rerumpublicarum veterum recentiumque historia, accurate est incutata. Illius in Daniam discessu simul utrumque hoc studiorum genus fuit heic quasi consepulium. Aeternum academiae Juliae et incomparabile ornamentum fuit!* *

* Euolue Conringii epistolam nuncupatoriam, exercit. de imper. germ. praemissam, eiusdemque L. de ciuili prudentia, c. XIII. Accedat Iselini lex. hist. Basil. p. 261.

§. II.

Non minore fama et existimatione fuit *D. Guilielmus Baudatus*, Halberstadii natus a. 1566. in quo dilaudando multus est ipse Leibnitiis. * Naturae bonitate atque educatoris Mich. Neandri, ad exerciranda discipulorum ingenia aptissimi, industria, in puero statim animi dotes ita exsplenduerunt, vt reliquis exemplo fuerit ad imitandum. Cursu literario peracto, cum artis salutaris peritissimus cognosceretur, ad curam corporis a ducibus Brunouicensibus, ab episcopo Halberst. a comitibus Stelbergenf. et abbatissa
Qued-

Quedlinb. adhibitus est et secundante fortuna tantam provinciam
gessit. Nec quidquam adversi ei obrigit, nisi quod invidia ineru-
ditissimorum quorumque oppressus, cedere subinde loco coactus
sit, et insociabilis matrimonii calamitatem senserit, quod a femina
regi nollet, eiusdemque iussa aspernaretur. Res gestas patriae fla-
granti studio et quoad eius fieri potuit, diligentissime reconstituit
ac scribendo commentandoque posteris notas facere adlaboravit,
praevalidosque historicorum et adulos errores acerrime profliga-
vit. Haec illius scripta, auro contra cara, ex quibus permulta inter-
cidisse dolemus, (est autem vix consolabilis dolor, tanta est egre-
giorum commentariorum tanti auctoris amissio et desperatio recu-
perandi.) incomparabilis polyhistoris nomen ei pepererunt. ** Quam-
que praeter plures typis exscriptos huius auctoris libellos, adeo etiam
scriptorum manu eius annalium partium reliquiae, tanquam ta-
bulae e naufragio servatae, pro vitio fato in manus nostras perue-
nerint, has praestantissimi auctoris immortales reliquias, luci
publicae, cum eiusdem biographia exponere, apud nos constitu-
tum est.

* Introd. ad T. III. Scriptor. rer. Brünsv. p. 25.

** Reimmannus, in obs. Hallent. P. II. p. 220.

§. 12.

Praetermissis itaque iam iis, quae alio loco commodiore mul-
to copiosius pertractabuntur, id vnum spectet commentatio nostra,
quod annuam huius diei celebritatem propius attingere videtur,
oratoriae scilicet artis, quae caput reliquarum est, documenta pub-
lica, ab optimis adolescentibus et ad spem patriae amabiliter suc-
crescentibus, nostro sub moderamine danda. Quae si accepta quo-
dammodo erunt iis, qui bene cupiunt discantibus, impense laetabi-
mur. Tanta spe elati, claros Halberstadienses omnes, quibus haec
vrbis adhuc exuberat, conatosque honorum artium fautores, curati-
ssimis precibus fatigamus, uti frequentes interesse iuuenilibus
hinc declinationibus, si nulla alia re, certe breuitate commenda-
bilibus, hinc dedignentur.

P. P. Halberstadii Kal. Octobr. MDCCCLIII.

Na



Namensverzeichnis der aufstretenden Personen samt den Hauptsätzen ihrer Reden.

1. Johan Georg Rauch, aus Niederröblingen in Thüringen, bildet als Vortræger, die Haltung öffentlicher Schulreden als eine uralte und löbliche Gewohnheit ab, deutsch.
2. Johan Gotfried Kühne, aus Wolfersberg in Thüringen, schildert die göttlich schöne Gestalt der Religion in einem deutschen trochäischen Gedichte.
3. Johan Andreas Wesche, aus Quedlinburg, unterhält uns in lateinischer Sprache mit Vorstellung der Glückseligkeit eines Landes, dessen Oberhaupt zugleich das Haupt aller Gelehrten ist.
4. Gotfried Kohli, aus Halberstadt, stellet bei seiner vorstehenden Begehung auf die hohe Schule zu Halle, in einer französischen Abschiedsrede, die unüberwindliche Liebe des Guten vor, welche in edlen Selen herrschet.
5. Paul Ludewig Heiligenstedt, aus Erfurt, liefert in einer deutschen Rede einen Erweis des Vorzuges kluger Unwissenheit für einem eingebildeten und verwornen Dickwissen.
6. Johan Wilhelm Dreier aus Halberstadt, Albert Friedrich Vernickel aus Grossenleimungen in Thüringen, und Philip Daniel Sandrart aus Halberstadt, unterreden sich miteinander von dem feinen Betrüge, welcher hie und da in der gelehrten Welt herrschet, deutsch.

7. Johan Heinrich Gottlieb Neuber, aus Brücken in Thüringen, bedient sich der Sprache der Gelehrten, um die Auslachenswürdigkeit halbbelehrter Klüglinge zu zeigen.
8. Eberhard Friedrich von Vogelfang, aus Halberstadt, besingt das Erhabene der Staatskunst, in einem deutschen trochaischen Gedichte.
9. Johan Carl Wilhelm Sandrart, aus Halberstadt, handelt von dem edlen Gleichsin eines wahren Weltweisen bei den mancherlei Begegnissen dieser Welt, deutsch.
10. Samuel Otto Christoph Dohmeier, aus Halberstadt, stellt das Aufeinanderkommen niedriger und angenehmer Begebenheiten, als einen unleugbaren Beweis der göttlichen Vorsehung, in deutscher Sprache vor.
11. Johan Matthias Krieg, aus Halberstadt, besingt das Lob der Arbeitsamkeit, in einem deutschen trochaischen Gedichte.
12. Jakob Catel, aus Berlin, wählet in französischer Sprache unsern allereuersten Monarchen, der so furchtbar seinen Feinden, als unendlich lieb seinen allergetreuesten Unterthanen ist, zum Gegenstande seiner demüthvollen Bewunderung.
13. Johan Andreas Reichmüller, aus Harzleben, lehret uns in deutscher Sprache die Ruhmwürdigkeit eines Weisen erkennen, der von allen vorkommenden Dingen den besten Gebrauch zu machen weiß.
14. Johan Lorenz Witzel, aus Breitenstein in Thüringen, stellt den unbilligen Weltthas, als eine Schwachheit mancher Christen vor, deutsch.

15. Johan August Bartels, aus Halberstadt, setzet der Ruhmbegierde, in einem jambischen Gedichte, ihre gemessene Schranken.
16. Johan Christian Rudolf Kohli, aus Halberstadt, stellet uns in einer dem Horazischen Silbenmaas nachgeahmten deutschen Ode, die hohe Verehrungswürdigkeit unsers allermächtigsten und allerfürerlichsten Beherrschers, Friedrichs des Grossen, zur Bewunderung dar, und richtet schliesslich seine ehrerbietige Dankagung an die gesammten Zuhörer.

Text zur Musik.

Zu Anfang.

Tutti. Ich wil dem Herren singen mein Lebelang und
meinen Gott loben, so lange ich bin. Ps. 104, 33.

Nach der zwoten Rede.

Aria,
a due
Erhaben bis zur Gottheit Siz
Ersieht mein Geist in selgem Biz
Die uns geoffenbarte Wahrheit
In götlich schöner Klarheit.
Chor.
Nimm es Erde, Himmel höre!
Ich singe zu des Schöpfers Ehre.

Nach der fünften Rede.

Recit. Vom Stolz unaußgeblähet
Sich nie des Wissens überheben,
Nur ordentlich und rein
Im Denken seyn,

Nicht

Nicht alles wissen wollen,
Gelehrtern Ehrfurcht zollen,
Sein Pfund getreu verwalten
Und mäßig von ihm selber halten,
Das heißt recht menschlich leben.

Nach der zehenden Rede.

Ariol. Ausdauernd in Geduld,
Berebr ich selbst in quälender Bedrängnis
Des Himmels allerweisestes Verhängnis,
Und unbefingbare Huld.

Nach der sechzehenden Rede.

Aria. Unschätzbar grosser Friederich!
Du Liebling der Gottheit,
Des Herren Rechte schütze Dich!
Bis zur Unendlichkeit

Steige Dein Lob!


Chor. Sprecht Abkömmlinge, Nachwelt, sprich:
Unsterblich grosser Friederich!
Du bist der uns Beglückte
Vom Elend das uns drückte,
Himmlisch erhob!



AB: 753875

(X 2360691)

R





Aug. V 675
20

DE CLARIS
HALBERSTADIENSIBVS

PROLUSIO HISTORICA,

—
QUA
DECLAMATIONES PUBLICAS

IN

IOANNEO NOSTRO

d. V. OCTOBR. AB. H. II. POST MERID.

HABENDAS PRAESIGNIFICAT,

AD EASQUE

BENIGNE AUDIENDAS

QUOTQUOT AMATORUM

REI SCHOLASTICAE EST,

DECENTISSIME INVITAT

M. CHRISTIAN. GODOFR. DERLING,

IOANNEI RECTOR.

—
HALBERSTADII, TYPIS LANGIANIS, 1753.

